

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Primae Lineae Doctrinae De Protestatione Cambiali

Hufeland, Gottlieb

Jenae, 1799

VD18 12256064

§. 31. c) Circa instrumenti cambialis acceptati redditionem.

urn:nbn:de:gbv:45:1-8845

Apparet in prioribus tempus solutionis non nisi post factam acceptationem certum et definitum esse; ergo nulla acceptatione facta nec tempus, quo solutio sit exigenda, habes, ideoque una saltem protestatio sufficit, nihilque porro expectandum esse censeo. In cambiis vero *a dato* solvendis nullum est ex eorum natura tempus praesentationis definiendum, modo ne id post tempus solutioni praefixum fiat. Protestatione ergo prius opus non est, nisi tempore solutionis. Hoc ergo exspectari potest, et iterum protestatione simplici contenti esse possumus. Omnino vero plures ordinationes cambiales etiam cambiis *a dato* certum praefigunt praesentationis facienda et acceptationis postulandae terminum. Sed tum quoque sola circa tempus praesentationis facta protestatione omnia absoluta esse videntur; quanquam cambium ad tempus solutionis usque retinere possit possessor, exspectans a forte traxatus adhuc veniat et solvat. Illum vero et tempore solutionis absentem fuisse ut denuo probet, non est obligatus. Mutatio enim, id est in hoc casu adventus traxati, non praesumitur et quod reliquum est, ipsi transfanti incumbit, ut acceptationem tempore legitimo faciendam curet. — Idem fere in omnibus nunc de cambiis nundinarum dixerim.

§. 31.

c) Circa instrumenti cambialis acceptati redditionem.

Et haec quidem hactenus de casibus circa acceptationem et solutionem obvenientibus. Restat vero tertium quid protestationem efflagitans, de quo nemo fere jureconsultus, qui de cambiis exposuit, mentionem fecit; cuius expositionem tamen iterum praecepit STEVENUS debemus. Tangit istud redditionem cambii vel penitus denegatam vel rei non perfecte adaequatam. More enim

D 3



enim mercatorum invaluit, quod ipse camhii scriptor (trassans) saepe unam de cambio formulam scriptis conceptam, illamque primam (*Prima-Wechsel*) domino cambii (*remittenti*) non tradat, sed ad alium nexus commercii sibi junctum transmittat, ut hic trassatum de acceptatione literis cambialibus inscribenda adeat. Mandatarium trassantis hic habes cui ceteroquin nullum jus in cambio competit. Ad officium ejusdem ergo pertinet, ut istas literas cambiales primas a trassato acceptatione munitas vero cambii domino, qui ordinario per inscriptionem literis cambialibus secundis adjectam jure primas poscendi vestitus est, tradat. *) Quod quidem si fecerit, reliquus cambii cursus nullo modo rumpitur. Attamen variae hic evenire possunt aberrationes. Negat e. g. ille trassantis mandatarius, se literas cambii primas habere, s. tradere posse; caussatur perditas esse; vel etiam reddit quidem easdem, acceptatione vero destitutas, vel non tali, qualem exigere possis, munitas. Ex omnibus hisce rebus nulla cambii domino competit actio erga dictum mandatarium, quippe qui eidem nullo modo obligatus est. Periclitatur tamen de *damno*, cum propter acceptationis defectum cambii solutionem exigere nequeat, nec alias nisi primas literas regulariter acceptatione donent negotiatores. Si igitur contra trassantem in processu cambiali agere velit, probationem facti mandatario incumbens, ab eo vero non praestiti, in promptu habeat necesse est, quae quidem, cum factum tertii tangat, iterum non nisi protestatione cambiali plene et liquide absolvenda est. Idem dicendum est de eo casu, ubi trassatus secundas literas cambiales acceptare paratus sit. Is enim de primis non extantibus certior esse debet, cum alias is, ad quem regressu uti velit, illi exceptionem obligatio-

*) cf. *Materialien* §. 45, sqq. §. 81, sqq. et alibi.



tionis non omnino impletæ opponere queat. Potest igitur omnino exigere, ut sibi protestationis instrumentum de literis primis non exhibitis tradatur.

§. 32.

a) Circa instrumenti omissionem.

Eadem fere ratio est, si trassatus literas cambiales ad acceptationem sibi traditas amissas esse, adeoque a se reddi haud posse profiteatur. Quod quidem iterum, ut cambi proprietarius a trassante indemnitatem quaerere possit, in processu cambiali per protestationem ab ipso evinci debet.

§. 33.

e) Consectarium.

Protestandum etiam esse, quando is, a quo acceptationem vel solutionem vel traditionem exigere debes, iuveniri non potest, per se patet. *)

§. 34.

3) Casus obvenientes circa cambia propriis.

a) non indossa.

Multo minoribus tricis implicata est disquisitio de protestatione in cambiis propriis necessaria. — Subsistentibus enim nobis in casu regulariter obveniente, ubi ab ipso cambi scriptore s. primo debitore solutionem exigit creditor primus cambialis, nullum dubium superesse potest,

*) Allg. preuss, Laydr, P, II, §. 1109.

